



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. II LITTERAE APOSTOLICAE **HONORARI SANCTOS** TEMPLUM S. TAMMARI, QUODO
SURGIT IN LOCO GRUMO NEVANO,
IN DIOECESI AVERSANA, AD DIGNITATEM BASILICAE MINORIS EVEHITUR Ad perpetuam rei memoriam. – Honorari
Sanctos tamquam amicos fidissimos Dei, eorumque memoriam virtutum transmitti per saecula ut Christi fideles ad
imitationem persequantur, tempia denique Deo illorum honorem strui atque ornari, id catholica Ecclesia et probavit
semper, et probat, cum laudes et gloria Sanctorum in Dei laudem atque gloriam redundant. Cum ergo Venerabilis Frater
Ioannes Gazza, Episopus Aversanus, sive suo, sive cleri populique nomine ab hac Apostolica Sede petierit ut sacrum
Sancti Tammari templum, in loco v. d. Grumo Nevano situm, in suae dioecesis finibus, ad gradum Basilicae Minoris
eveheretur, Nos, ratione habita tum templi ipsius pulchritudinis, tum cultus antiquitatis, tum reliquiarum atque
monumentorum quae templo continentur, tum denique pietatis, quae cleri populique studio, Pastore nempe praeeunte, ibi
ceu flamma alitur, bene fieri censuimus et admotae postulationi concederemus. Confidimus enim fore ut per concessum
honorem animorum religio magnopere crescat. Quapropter, iis probatis, quae Sacra Congregatio pro Sacramentis et
Cultu Divino, factis olim a Nobis potestatibus de re statuerit, apostolica Nostra auctoritate templum S. Tammari, cuius
mentionem fecimus, Basilicis Minoribus accensemus, cum iuribus atque privilegiis rite competentibus, servatis tamen iis,
quae per Decretum «De Titulo Basilicae Minoris», die VI mensis Iunii, anno MDCCCCLXVIII factum, iubentur. Contrariis
nihil obstantibus. Ceterum quod egimus tum Episcopo Aversano tum clero populoque Grumi Nevani felix faustum
fortunatumque sit. *Datum Romae apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die XX mensis Martii, anno MDCCCCLXXXII,*
Pontificatus Nostri quarto. AUGUSINUS Card. CASAROLI, a publicis Ecclesiae negotiis © Copyright 1982 -
Libreria Editrice Vaticana
